



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Cap. V. De collectionibus particularium Ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

## CAP. V.

## De collectionibus particularium Ecclesiarum.

## S U M M A R I A.

1. Collectio Africana.
2. Breviarium Ferrandi antiquissima collectio, apud Latinos.
3. Cresconii à Pithæo editus liber.
4. Martinus Bracarenfis.
5. Codex Ecclesie Africanae proprius.
6. Ecclesie Gallicanae corpus canonum ut & Hisp. & Britan.
7. Jus novum Canon.
8. Collectio Isidori.
9. Mercatoris, an peccatoris.
10. Non certè Hispalensis Episcopi.
11. Capitula Karoli, Ludovici & Lotharii.

*Collectio  
Africana.*

*Breviarium  
Ferrandi  
antiquissi-  
ma colle-  
ctio, apud  
Latinos.*

*Cresconii à  
Pithæo edi-  
tus liber.*

*Martinus  
Bracaren-  
fis.*

*Codex Ec-  
clesie Afri-*

**H**Abuerunt & aliae Ecclesiae collectiones suas proprias, ex ejusdem Codicis vetere latinâ versione desumptas, ut Africana. Etenim Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiae Diaconus, qui sub Justiniano post Consulatum Basilii, anno 6, qui est Christi 547. floruit, teste Victore Tununenfi, breviarium suum canonum ex conciliis antiquo codice Ecclesiae comprehensis composuit, adjectis tantum Sardicensi & Africanis quibusdam Synodis, & epistolâ Siricii Papae ad Episcopos Africae, quae exstat tom. I. Conciliorum. Est hæc Ferrandi apud Latinos collectio antiquissima. Post hanc circa finem seculi septimi Cresconii collectio prodiit, duabus partibus, quarum prior *breviarium Canonum* dicitur, sensu canonum in summam contracto. Posterior verò integros canones exhibet, & inscribitur in MStis Codicibus, *Concordia canonum*, itemque, *liber canonum*. Edidit hanc primus Petrus Pithæus ex MSto Ecclesiae Trecentis, Lutetiae anno 1588. Ferrando suppar est Martinus Bracarenfis, cujus collectio ex Codice Ecclesiae orientalis, & nonnullis occidentalibus Synodis Hispanicis deprompta, in duas partes distribuitur, quarum prior de personis, rebus, & ritibus Ecclesiasticis agit, posterior res laicorum complectitur. Habuit tamen eadem Ecclesia pro-

propriam collectionem ex Africa duntaxat conciliis compositam *cane pro-*  
 & in Synodo Carthaginensi sextâ approbatam, actisque insertam. *prius.*  
 Exstat apud Zonaram *pag. 384.* & Balsamonem *pag. 587.* Habuit & *Ecclesia*  
 Ecclesia Gallicana præter corpus canonum concilio Chalcedo- *Gallicana*  
 nensi receptam collectionem propriam canonum ex Synodis Gal- *corpus can.*  
 licanis compositam. Vide Justellum *in præfatione Cod. Eccles. ut & Hisp.*  
*univers.* Itemque Ecclesia Hispanica & Britannica. Et hætenus *& Britan.*  
 Jus canonum vetus obtinuit, quo usa fuit Ecclesia primis septem-  
 seculis, cum in conciliis, tum in judiciis Ecclesiasticis. Abhinc  
 novum Jus veteri successit, publicatâ nova Syllogâ Isidori cujus- *Jus novum*  
 dam *circa annum 836.* qui ad veterem Codicem, canones Apосто- *Canon.*  
 lorum adjecit cum canonibus concilii Sardicensis diversorumque *Collectio*  
 aliorum Africae, Galliae & Hispaniae conciliorum canonibus, ad *Isidori.*  
 ditis quibusdam, sed commentitiis, Romanorum Pontificum à  
 Clemente usque ad Gregorium primum Epistolis. Isidori, inquam,  
 nescio an Hispalensis Episcopi, quod jam olim creditum Hincma-  
 ro Rhemensis *Epist. 7. c. 22.* Ivoni, decreti *part. 4. c. 107.* Trithemio  
*in Scriptoribus.* Vincentio *historiarum lib. 23. c. 31. & lib. 25. c. 84.*  
 Antonio *part. 3. hist. tit. 1. c. 6.* Antonio Possævino *appar. sacro tom.*  
*2. p. 291.* Ildefonso Toletano *lib. de viris illustribus.* Nominat se  
 autor in libris veteribus Isidorum, modo Mercatorem, modo Pec- *Mercatoris,*  
 catorem. Quod si fides habenda esset chronico Juliani Toletani, *an peccato-*  
 quod edidit Laurentius Ramirez, haberemus Isidorum Mercato- *ris.*  
 rem, Episcopum Setubensem, (hodie Xatipha dicitur, urbs Hispani-  
 a) qui ope Monachi cujusdam Benedictini compilationi ope-  
 ram dedisse dicitur, & obiisse *anno 805.* Quisquis fuerit vix est, ut  
 Hispalensis ille Episcopus fuerit. Hic enim *A. D. 636.* vitâ fun-  
 ctus fuit, ut docet Redemptus Diaconus in ejus vitâ. Compiler  
 verò non modò concilii Toletani XI. ab obitu Hispalensis trigin- *Non certè*  
 ta novem annis, & sexti Oecumenici *A. D. 681.* ab obitu ejusdem *Hispalensis*  
 46. annis celebratorum meminit: Sed & Gregoriorum II. & III. *Episcopi.*  
 Zachariae, Bonifaciique Moguntini, qui *anno 755.* obtruncatus fer-  
 tur Baronio, verbis utitur. Quibus fortissimis convictus ratio-  
 nibus Bellarminus *de Pontif. R. lib. 2. c. 14.* epistolas ejus compila-  
 tionis non audeat genuinas affirmare. Et Baronius *ad annum 865.*

§. 8. eas apertè abjudicat Isido ro, quidquid Turrianus pro eis asse-  
rendis moliat. Quid? quod Dionysius Exiguus nullam facit  
mentionem Isidorianæ collectionis Epistolarum, ut ut suæ canonū  
collectioni Epistolas Decretales Pontificum Romanorum adjece-  
rit: Sed nec apud Leonem & Gelasium mentio earum exstat, qui  
tamen frequenter epistolas prædecessorum suorum laudant. Sed  
& prolixè id demonstravit David Blondellus in Pseudo-Isidoro,  
Adi & Dn. Conringium, amicū nostrum, *tract. de Orig. Jur.  
Germ. c. 16. p. noviss. edit. 77.* Hic Isidorus primus epistolas præscis  
Pontificibus à Clemente inde mangoniâ fraude supposuit. Quem  
Ἰσοδότος secuti reliqui compilatores fuerunt. Vide Marsil.  
Patav. *defens. pac. c. 2. c. 28.* Nicol. Cusan. *lib. 3. de concord. c. 2.*  
Ant. Contium *in annot. ad dist. 16. c. Septuaginta.* Centur. Magde-  
burg. *cent. 2. c. 7.* Blondell. *Pseudo-Isid. proleg.* Huc pertinent Ca-  
pitula Ecclesiastica Karoli M. Ludovici & Lotharii Imp. ab An-  
segiso & Benedicto Levita collecta ejusdem ferè ætatis. Et qui-  
dem collectio Canonum operâ Albini seu Alcuini & Paulini Epi-  
scoporum habetur apud Ansegisum *lib. 1.* Et in celeberrimæ Aca-  
demie Julie Bibliothecâ extare manuscriptam testatur divina-  
rum, humanarumque rerum scientissimus Dn. Hermann. Conrin-  
gius *tract. de origin. Jur. Germ. c. 24. pag. 61. ed. noviss.*

Capitula  
Karoli, Lu-  
dovici &  
Lotharii.

## CAP. VI.

### De Photii Nomocanone, & compilationibus Ivonis Carnotensis, Alexii, Simonis, Ar- senii, Blastaris.

#### S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Photii laus, & nomocanone<br>ejusdem.           | 6. Brocardica.  |
| 2. Balsamo in Photium.                             | 7. Compilatio Ivonis.   |
| 3. Collectio Reginonis.                            | 8. Pannormia.   |
| 4. Regino editus à D. Hildebran-<br>do, & Baluzio. | 9. Synopsis Canonum Alexii, Ari-<br>senii, Simonis Magistri, Arse-<br>nii, Matt. Blastaris & c. |
| 5. Collectio Burchardi.                            | 10. Col-  |